Animæ non præexistunt.

CVm pater humanas misceret nectare vitas
Diuiduum tantæ noluit artis opus.
Noluit Elysiæ redimiri fronde coronæ
Imbutas nullo munere militiæ.
Noluit aut superâ culpis damnarier aulâ,
Aut teneram ferulæ supposuisse manum.
Hæc & quæ Samij dementit uena renati
Ille ipso exclusit prouidus articulo.
Improba quò tendis? non hæc tyrone tenentur,
Castraq; sunt operis altera digna tuis.
Ante tibi ignota lentandus remus in vnda,
Tradenda & duro læuia colla iugo;
Ante etiam Eumenidum vada liuida sunt uerrenda
Et cum funereo bella gerenda cane,
Quàm nostra uictrix domineris in arce recepta:
His locus ingentis præmia laudis habet.
Quò tamen aut manicæ hæ nisi si meruere? quid (inquit)
Corpus hoc, & sæui vincula supplicii?
Scilicet vt curis acuat mortalia corda
Difficilem voluit sic pater esse viam.
Nec quia peccauit mens carcere clauditur isto,
Sed nullo ut subigi carcere posse scias.
Ecce quod & resides senio torpere lacertos
Obductumq; situ robur hebere vetet.
O quam perpetui spes hîc fæcunda triumphi,
Quodq; queas semper vincere semper habes.
Nec procul anquirenda superbæ occasio palmæ,
Ipse hostis, campus, miles es ipse tibi.
Multa quidem subeunt, sed nil pote certius isto.
N ATalem esse vnum corporis atq; animæ.

Intellectus non laborat sub excellenti obiecto.

QVanti nobilis æstimanda origo est
Quæ nullo finit interire casu,
Nulli cedere perpetem labori,
Nulli cedere perpetem dolori,
Non alni fluuiatilis-ue myrti,
Sed vivæ sobolem cedri aut cupressi
Plenam luminis enthei medullam?
Quanti nobilis æstimanda origo est?
Non sic degener improbusq; sensus
Quem splendoribus aut nimis coruscis
Immani aut tudite aut graui mephiti
Victum terga dedisse res fatetur:
Hanc non Herculei domant paratus,
Non consumit edax vorando vultur
Gnarus figere cor disertiorum,
Non longa speculatio fatigat,
Sed se uirdior emicat, nouisq;
Immensum tonat usq; sub periclis.
Quanti nobilis æstimanda origo est?
Olim semine dispari creati
Xanthus, Pedasus, (iste nam caduco
Longè ille generosiore) currus
Traxere AEmonii graues Achillis,
Si qua est Argolico fides poetæ.
Ergo Pedasus occubare telo,
Xantho nulla manus fuit morando.
Quanti nobilis æstimanda origo est?
Sic, cum deficit ille ceu iugalis
Equus corporis, obrutæq; languent
Vires sensilium potentiarum
Communi dominum rotâ trahentes,
Mens infracta manet, manet, nec audax
Quisquam vulnere mentium triumphat
Ah lasso comite, ah sodale cæso.
Pergebant alacres adhuc camænæ,
Sed manum iniiciens chori magister
Iussit parcere; namq; sat liquere
AVRAE particulæ sacræ & seueræ
Quanti nobilis æstimanda origo est.